

radix determinatæ futuritionis : sed transitus ille a statu possibilitatis ad statum futuritionis conditionatæ est futuritio determinata ; ergo.

R. Datis cæteris *N. min. subs.* Transitus ille ab uno statu ad alium non est realis et physicus, sed intentionalis et objectivus, consistens in eo, quod in signo primo rationis Deus videat effectum seu actum creatæ voluntatis liberum, esse possibilem seu posse poni posita tali conditione, in posteriore autem signo videat illum actum reipsa ponendum esse, si poneretur talis conditio. In hoc autem statu objectivo res ex statu possibilitatis extrahitur formaliter ratione sui, quatenus talis futura esset, si foret conditio; efficienter autem non extrahitur nisi per alienationem, quatenus talis esset vi causarum suarum non quidem operantium de præsentis et absolute, sed conditionate et tunc operaturarum, si conditio poneretur. Hinc causa cognitionis conditionalis in Deo eadem quoque ex parte objecti est, nempe ipsum esse actuale, quod res seu actus haberet formaliter ratione sui et efficienter a suis causis, si conditio poneretur.

Ad prob. *D. M.* Divina voluntas mediante decreto est primum principium et radix omnis futuritionis determinatæ, hoc sensu, quod nihil futurum sit absolute, nisi dependenter a decreto actu existente, et nihil conditionate, nisi sub conditione, si esset decretum *C.* hoc sensu, quod nihil futurum sit conditionate, nisi actu existat in Deo decretum objective conditionatum *N.*

Inst. 2. Quidquid actu est cognoscibile, actu debet esse aliquid; quia esse, et esse cognoscibile convertuntur: sed conditionate futura non sunt actu aliquid in se, sed essent, si conditio poneretur; ergo. *Conf.* Intellectus divinus est indifferens, ut sub eadem conditione videat v. g. futurum esse Petri consensum vel dissensum; adeoque debet dari ratio, cur potius videat consensum quam dissensum. Hæc vero dari non potest in nostro systemate; nam 1^o. ratio illa non est decretum divinum scientia ista prius, quod hactenus rejectum est: 2^o. non est conditio, sub qua consensus dicitur ponendus; quia hæc non petit conjungi potius cum consensu quam dissensu: 3^o. nec est ipse consensus; tum quia is secundum se est indifferens: tum quia, si quid ei determinationis etiam concedatur, non tamen est determinatus, sed determinaretur, si poneretur conditio: tum quia non habetur ratio, cur supponatur potius consensus, posita conditione, quam dissensus.

R. *D. M.* Quod actu est cognoscibile cognoscibilitate vel per se vel per species physice movente ad cognitionem, est aliquid actu *C.* cognoscibilitate tantum intentionaliter movente *N.* vel *subd.* actu est aliquid physice et in esse rei *N.* logice et in esse veri *C.* Præterea vero, si etiam permittatur, cognoscibile debere aliquid esse physicum, non tamen id esse debet pro omni, sed pro eo tantum tempore, pro quo affirmatur.

Ad *Conf. prob. 1^{am}. D.* Consensus secundum se est indifferens antecedenter *C.* consequenter et facto supposito, quod extiturus esset, si poneretur conditio *N.*

Ad prob. 2^{am}. *D.* Non est determinatus per statum et in tempore, quo affirmatur futurus *C.* per ampliationem vel alienationem et pro tempore, pro quo affirmatur *N.*

Ad prob. 3^{am}. *R.* Nos neque scimus, nisi forte in aliquo exemplo sit revelatum, neque supponimus consensum præ dissensu, sed simpliciter asserimus, si voluntas creata sub certa conditione posita consentiret, Deum

determinate videre consensum sub conditione futurum; sicut e contrario determinate videret dissensum, si dissentiret: unde minus apte exigitur, ut detur ratio, cur potius supponatur consensus. Quia tamen sub aliqua conditione posita possibilis est consensus, et impossibile est, ut neque consensus neque dissensus, aut uterque simul ponatur; hinc libere possumus assumere pro exemplo consensum, et hoc supposito de illo quæstionem hactenus agitatam versare.

Inst. 3. Quia consensus conditionalis non est, sed duntaxat esset, non habet rationem meriti moventis divinam voluntatem ad præmium, sed haberet; ergo ob eandem causam non habet rationem objecti determinantis divinum intellectum, sed haberet.

R. *Disparitas* est; quia *meritum* duntaxat causat, quia in determinata temporis differentia reipsa est; cum si sufficeret, quod posset esse, aut sub aliqua conditione foret, nemo esset, qui non foret dignus præmio, et ob similem rationem demeriti nullus etiam, qui non mereretur pœnam: *cognoscibile* autem movet intellectum divinum ad cognitionem, quia verum est, seu pertinet ad rationem veri; ad quod non requiritur, ut actu existat, cum ad veritatem actus sufficiat, quod objectum se habeat, ut actus enuntiat.

CAPUT II.

DE SCIENTIA DIVINA.

ARTICULUS I.

AN, ET QUOTUPLEX IN DEO SIT SCIENTIA?

139. *Dico I.* Vere datur in Deo scientia, eaque proprii nominis, et perfectissima.

Prob. 1^a. p. Quia manifesta Scripturæ testimonia Deo scientiam tribuunt. Eccli. 42. 19. *Cognovit Dominus omnem scientiam.* Esther. 14. 14. *Domine, qui habes omnem scientiam.* Paulus ad Rom. 11. 33. *O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei;* et ad Coloss. 2. 3. de Christo ait: *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi* etc. *Conf.* tum *a priori;* quia ex aseitate et omniperfectione profluit ac ostenditur, Deo convenire scientiam, utpote perfectionem simpliciter simplicem: tum *a posteriori;* quia ex ordine ac pulchritudine universi manifeste colligitur architectus perfectissimus, qui sine scientia non est.

Prob. 2^a. p. Quia scientia *proprie* talis est certa et infallibilis ac etiam clara et evidens cognitio seu perceptio veritatis seu objecti scibilis; syllogismus autem, cui communiter tribuitur ratio scientiæ, est duntaxat medium, quo intellectus creatus accipit evidentiam, quo tamen Deus non indiget ad illam habendam: et cognitioni rei per causam aut per effectum, quæ scien-

tia *proprie* talis dicitur, secundum perfectionem æquivalet cognitio certa et manifesta tum rei, tum causæ et effectus, tum connexionis rem inter et causam vel effectum, licet a cognitione removeatur imperfectio compositionis, pluralitatis aut dependentiæ.

Prob. 3^a. pars : 1. Reg. 2. 3. dicitur : *Deus scientiarum Dominus est*, quod phrasi hebraica idem est ac *scientissimus*. Ps. 138. 6. *Mirabilis facta est scientia tua ex me*, id est, super me, et plus quam intelligere possum : *Confortata est, et non potero ad eam*, h. e. invaluit supra modum, atque ita est exaltata, ut ad eam pertingere non valeam.

Conf. Scientiæ diviniæ perfectio summa cognosci potest ex discrimine, quod ipsam inter et scientiam humanam intercedit. Non enim est *accidens*, sed ipsa Dei substantia; non est *successiva*, sed tota simul; non *discursiva*; tum quia a minus noto non facit gradum ad magis notum, cum omnia sint Deo æqualiter nota : tum quia, ut Aug. L. 15. de Trin. c. 14. dicit : *Omnia simul videt, non particulatim, aut singillatim*; nec *præcisiva*, quasi unum attingat sine alio; cum simul et unico intuitu omnia pervadat; nec denique *variabilis*; tum quia mutabilitate et transitu ab una cogitatione in aliam divina scientia caret : tum quia omnis decrementi aut incrementi est prorsus incapax.

140. *Dico II.* Scientia divina dividitur : 1^o. in *naturalem* seu simpliciter necessariam, quæ absolute non potest non esse in Deo, et antecedit omne decretum liberum diviniæ voluntatis; objectum ejus est omne de se necessarium, uti essentia, attributa et personalitates diviniæ, item creaturæ quoad essentiam, et quidditates : et in *contingentem*, quæ absolute potest non esse in Deo, et fundatur aut præsupponit decretum Dei actuale sive mediate sive immediate liberum; objectum ejus est actus liber diviniæ voluntatis, vel res creatæ quæcumque quoad existentiam in certa temporis differentia : quia sicut hæc omnia possunt absolute non esse, sic et possunt absolute non sciri a Deo. 2^o. in scientiam *simplicis intelligentiæ*, qua Deus res cognoscit sub ratione præcisa possibilitatis; unde ejus objecta sunt tam possibile, quæ nunquam existunt, quam quæcumque in aliqua temporis differentia existentia, sed expressa duntaxat sub ratione possibilitatis : et in scientiam *visionis*, qua Deus cognoscit et determinate exprimit res ut existentes pro aliqua temporis differentia : unde patet, divisionem hanc non esse omnino æqualem priori; quia objectum *visionis* non minus sunt essentia, attributa et personalitates diviniæ utpote existentes actu, quam res creatæ, quæ existunt; adeoque hanc scientiam partim *naturalem* partim *contingentem* esse. 3^o. in scientiam *approbationis*, quæ suum objectum exprimit vel ut Deo placens, vel ut complacentia dignum : et in scientiam *simplicis notitiæ*, quæ non exprimit ejusmodi objectum. Porro si hæc scientia nullam indignitatem ad affectum prosecutivum proponat in objecto, vocatur *simplex notitia* pure talis; si vero illud repræsentet ut Deo displicens vel displicentia dignum, dicitur scientia *reprobationis*, et in Scriptura etiam vocatur *ignorantia* vel *nescientia*. 4^o. in scientiam *speculativam*; quæ vel est de objecto non operabili, ut cognitio, qua Deus se ipsum cognoscit; vel est de objecto operabili, sed non qua operabile est : ubi si considerat præcise essentiam et proprietates rei, speculativa *quoad modum* dicitur; siquidem vero considerat

modum operandi vel disponendi res, sed sine intentione operis, dicitur speculativa *quoad finem*: et in *practicam*, quæ versatur circa objectum operabile, qua operabile est; unde scientia speculativa quoad finem tantum, est practica quoad modum : quæ vero ordinatur ad ipsum opus, quoad finem etiam est practica, et *simpliciter practica* vocatur, talemque Deus solum habet de iis, quæ facit; quamvis etiam mala subdantur scientiæ practicæ, in quantum ea Deus permittit aut impedit, aut aliquo modo ordinat. Cæterum scientia Dei practica quoad actus diviniæ voluntatis liberos est practica per modum *prudentiæ*; quia illos dirigit proponendo, quid Deus conformiter suæ bonitati et sanctitati velle possit aut non velle : quoad operationes vero et effectus extra Deum, est practica per modum *artis*; quia proponit modum, quo fieri possint aut debeant, quod proprium est scientiæ practicæ, quæ ars et scientia factiva dicitur.

141. *Dico III.* Nec prima nec secunda divisio scientiæ est adæquata, sed inter membra utriusque divisionis datur alia adhuc scientia, quæ recte dicitur *media*.

Prob. Datur scientia contingentium conditionate futurorum independens ab omni decreto Dei actuali seu subjective absoluto; sed hæc recte dicitur *media*, tum inter scientiam naturalem et contingentem, tum inter simplicem intelligentiam et visionem; ergo. *Min. prob.* Scientia, quæ ab aliis scientiæ membris aliquid participat, et tamen ab iisdem discrepat secundum aliquid, recte dicitur mediare inter illa membra, seu esse scientia media : sed illa 1^o. convenit cum scientia *naturali*; quia antecedit omne decretum liberum voluntatis diviniæ saltem actuale : discrepat autem ab eadem; quod, quia objectum ejus est contingens, absolute potest in Deo non esse, quoad actualem scilicet scientiæ denominationem : 2^o. convenit cum scientia *contingente*; quia a Deo absolute potest abesse : discrepat vero; quia non supponit ullum decretum Dei actu existens : 3^o. convenit cum *simplici intelligentiæ*; quia non minus illa ac hæc non exprimit ullam existentiam actualem absolutam sui objecti : discrepat ab eadem; quia non attingit objectum sub præcisa ratione possibilitatis, sed sub futuritione quidem conditionata, nihilominus tamen unam ex duabus oppositis possibilitum determinante, seu determinata : 4^o. convenit cum scientia *visionis*; quia non versatur circa meram objecti possibilitatem, sed existentiam in certa temporis differentia quantumvis conditionatam : discrepat autem, quia non versatur circa existentiam objecti tempore certo actualem et absolutam.

142. *Nec obstat* 1^o. Inter necessarium et contingens non datur medium; ergo nec scientia media inter scientiam naturalem et contingentem. *Conf.* Repugnat potentia activa inter necessariam ac liberam media; ergo et scientia media inter necessariam, qualis est naturalis, et liberam, qualis immediate vel mediate respectu Dei est omnis contingens.

R. D. A. Inter necessarium et contingens non datur medium per totalem utriusque extremi exclusionem, seu tale quod sub nulla prorsus ratione vel respectu nullius sit vel necessarium vel contingens C. non datur medium per participationem utriusque extremi, seu quod sub una ratione et res-

pectu unius sit necessarium, et sub alia ratione et respectu alterius sit liberum *N.*

Ad Conf. R. N. Cons. Disparitas est, quia potentia activa necessaria vel libera est uno tantum modo, nempe ex parte principii; quod si ad unam contradictionis partem sit determinatum, potentia activa seu agens dicitur necessarium, si vero sit ad utrumlibet active indifferens, dicitur agens liberum: quare sicut inter hæc extrema, utpote proprietates contradictorias includentia medium inveniri nequit, sic nec medium datur agens inter necessarium et liberum. Quamvis vero scientia Dei omnis ex parte principii sit necessaria, eo quod intellectus divinus ad omne verum cognoscendum sit summe determinatus; tamen ex parte objecti pluribus modis participare potest libertatem, nempe vel respectu Dei vel respectu creaturæ seu voluntatis creatæ, ut exponetur.

143. *Nec obstat 2º. S. THOMAS et omnes Scholastici Veteres adæquate diviserunt scientiam Dei in simplicem intelligentiam et visionem; ergo mediam non cognoverunt. Conf. Omnis scientia in Deo vel est abstractiva vel intuitiva; neque inter hæc extrema datur medium: sed omnis scientia simplicis intelligentiæ est abstractiva, et omnis scientia visionis est intuitiva; ergo inter has scientias nulla datur media.*

R. D. A. Scientiam Dei sumptam solum secundum rationem objecti restrictam et hanc unam, quod aliquando sit in actu, vel non sit, diviserunt adæquate in simplicem intelligentiam et visionem C. sumptam secundum rationem objecti magis universalem et omnes status etiam futuritionis conditionatæ complectentem N. Primum patet ex D. THOMA p. 1. q. 14. a. 9., ubi docet ea, quæ sunt in actu, aut licet non sint in actu, tamen vel fuerunt, vel erunt, sciri scientia visionis; ea vero, quæ nec sunt, nec fuerunt, nosci scientia simplicis intelligentiæ: Secundum constat ex eodem, ubi is scientiam conditionatorum admisit. Præterea usurpatio simplicis intelligentiæ et visionis apud Veteres erat latior et alia, quam quæ modo invaluit, et strictior est, ut ex definitione utriusque superius data liquet: unde et ipse MOLINA scientiam mediam tantum interposuit naturali et liberæ Dei scientiæ, non autem simplici intelligentiæ et visioni; cum scientia conditionatorum, quorum conditio nunquam purificabitur, reduci queat ad simplicem intelligentiam, prout hæc cognitionem rerum absolute non existentium dicit; scientia autem conditionatorum quidem, sed sub conditione purificanda, tanquam absolute futurorum ad visionem.

Ad Conf. R. T. M. N. min. quia, si retineatur data a nobis nuper scientiæ divisio et explicatio, pars utraque vel alterutra min. falsa est. Nam 1º. si abstractiva et intuitiva dicantur differre ex eo, quod prior sit cognitio rei in alio tanquam medio ut quod prius cognito, posterior autem sit immediata et a tali medio independens; utraque pars minoris falsa est, quia scientia simplicis intelligentiæ attingit etiam possibile in seipsis, et scientia visionis cognoscit quoque existentia in decreto divino; ac præterea scientia media intuitiva dici debet. Si vero 2º. dicantur differre ex eo, quod prior terminetur ad objectum præscindendo ab ejus existentia absoluta, posterior autem objectum repræsentet ut absolute existens; prima pars min. falsa est, qua-

tenus soli simplici intelligentiæ tribuit rationem scientiæ abstractivæ, cum et illa scientiæ conditionatorum conveniat. Si denique 3º. statuatur differre ex eo, quod prior repræsentet objectum præcise ut possibile, posterior ut quocumque modo existens vel extitutum sive sine, sive sub conditione; secunda pars min. falsa est, quia scientia conditionatorum non est visio, et tamen intuitiva foret, unde rursus non sola scientia visionis est scientia intuitiva.

144. *Nec obstat 3º. Futura, quæ reipsa non erunt, sed forent posita aliqua conditione, non sunt futura, sed possible; tum quia juxta S. AUG. L. 26. cont. Faust. c. 4. Omnia quæ vere futura sunt, sine dubio fiunt, si autem facta non fuerint, futura non erant: tum quia in idea ac perceptione rei futuræ venit id, quod aliquando erit. Sed possible sunt objectum scientiæ naturalis simplicis intelligentiæ; ergo conditionate futura non sunt objectum scientiæ cujusdam mediæ. Conf. Futura conditionata sunt tantum futura dependenter ab aliqua conditione; ergo, cum conditio in mere conditionate futuris non sit futura, sed tantum possible, etiam futura conditionata non sunt futura, sed tantum possible; præsertim quia, ut transeat res de statu possibilitatis ad statum futuritionis, non sufficit conditio tantum possible, cum quod in se futuritionem non habet, illam aliis rebus tribuere nequeat.*

R. D. M. Quæ reipsa non erunt, sed forent tantum posita aliqua conditione, non sunt futura absolute et simpliciter C. non sunt futura conditionate et secundum quid, N. Eadem responsio convenit probationibus, præsertim cum contextus præsentis testimonii manifeste prodat, sermonem esse de absolute futuro, S. AUG. autem alibi sæpius conditionate futura agnoscat.

Ad Conf. R. N. Cons. vel D. Conditionate futura sunt tantum possible, quatenus possibile opponitur præcise actualiter existenti vel extitutum C. quatenus opponitur uni ex duobus possiblebus præ altero determinate eventuro sub quacumque ratione N. Possible præcise sumptum dicit non repugnantiam prædicatorum vel producibilitatem, præscindendo an res actu existat in aliqua temporis differentia; tantum possibile eandem non repugnantiam vel producibilitatem dicit, sed negando omnem actualem existentiam pro ulla temporis differentia: hoc ipsum etiam negat mere conditionate futurum, non tamen dicit solam rei non repugnantiam vel producibilitatem, sed proportionem et conducentiam conditionis ad conditionatum, qua posita v. g. consensus potius futurus esset, quam dissensus, qui non minus ac ille possible est, ac non repugnat. Ad prob. N. Ass. Scilicet, quod ad transferendam rem a statu possibilitatis ad statum futuritionis mere conditionatæ non sufficiat conditio tantum possible; quia quamvis hæc in se futuritionem non habeat, includit tamen proportionem ac conducentiam ad rei futuritionem, quam non præstat conditio, sed causa rei futuræ libera præstaret ex propria electione.

145. *Observa. Contingentia conditionate futura alia sunt immediate libera creatæ voluntati, ut illud: si Tyrii viderent miracula Christi, agerent penitentiam: alia sunt immediate libera voluntati divinæ: et hæc possunt dependere vel ab aliqua conditione, quæ est immediate libera voluntati*

creatae, ut iste actus divinus : si viderem Adamum peccatum, incarnarer; vel ab aliqua conditione, quae Deo est immediate libera, ut hic : si crearem alium mundum, crearem tot angelos. Scientia horum omnium conditionatorum dicitur, et est scientia media; sed tamen scientia conditionatorum creaturis immediate liberorum *scientia media directa*, et de hac disputatur inter Thomistas et Nostros : scientia vero conditionatorum Deo immediate liberorum dicitur *scientia media reflexa*, et de hac etiam controversia est inter Nostros. Porro scientia media *proprie reflexa* vocatur ea, quae pro conditione habet aliquid, quod voluntati creatae est immediate liberum; quia cum hoc sub conditione propositum sit objectum scientiae mediae directae, scientia divina illud attingens tanquam conditionem supra scientiam mediam directam reflectit; hoc vero cum non fiat in conditionato, cujus conditio est decretum divinum seu actus Deo immediate liber, hinc scientia illa proprie et sub illo respectu non dicitur reflexa; quamvis simpliciter adhuc reflexa recte appelletur, eo quod per illam Deus reflectat super actus proprios per modum conditionis importatos.

ARTICULUS II.

AN DETUR IN DEO SCIENTIA MEDIA DIRECTA?

146. *Nota.* Vocabulum scientiae mediae, quod an. 1566. primus in scholas induxit P. Petrus FONSECA, S. J. Theologus, ejusdem discipulus P. Lud. MOLINA an 1589. typo mandavit in Libro, quem inscripserat : *Concordia liberi arbitrii cum gratiae donis, divina praescientia et praedestinatione.* Operi huic, quod primum in materia Theologiae scholasticae a Scriptore Societatis typis vulgatum est, litem non solum de nomine, sed de re ipsa et doctrina movit P. Dominicus BANNEZ, Praedestinationum physicarum auctor, cum aliis e sacra Patrum Praedicatorum familia DD.; unde ortum duxerunt celebres de Auxiliis congregationes, quarum series et exitus sub Summis Pontificibus Clemente VIII. et Paulo V. in Urbe habitatum in Tr. de gratia exponitur. Controversiae cardo in eo vertebatur, quod Patres Dominicani vellent Deum agnoscere in *decretis* suis absolutis ac intrinseca virtute gratiae per se efficacis, quidquid homo facturus sit, si haec ipsi gratia conferatur; ideoque inutilem saltem contendebant esse scientiam mediam : Theologi autem Societatis, quamvis in variis discrepant a MOLINA, cum tamen universim nullam agnoscerent gratiam, quae per se et natura sua physice sit conjuncta cum effectu, negabant consequenter, Deum certo videre posse futuros actus salutes in decreto dandi gratiam efficacem; sed necessarium cum MOLINA statuebant, ut prius prioritate quadam rationis, per scientiam mediam perspiceret quid actura esset voluntas, si talis et talis gratia ei concederetur; ex quo capite quicumque Thomistis aut aliis etiam, qui gratiae per se efficacis necessitatem postea restrinxerunt ad praesentem naturae lapsae statum, opponuntur, generali nomine *Molinistae* ab Adversariis vocantur. Quamvis itaque scientiam mediam *directam* dixerimus eam cognitionem, qua Deus sine ullo decreto actuali praevidet, quidquid creata voluntas sub quacumque conditione constituta esset libere factura, quaestionem tamen pro-

positam, ad actus voluntatis salutes vel malos restrictam, praecipue versabimur.

147. *Dico.* Datur in Deo scientia media *directa*, sive Deus certo cognoscit salutaria voluntati creatae libera conditionate futura, in seipsis, et non in decreto praedeterminante vel condeterminante, aut dandi gratiam *per se* efficacem.

Prob. I. Ex Scriptura. Christus Matth. 11. et Luc. 10. justissime increpat Judaeos comparative ad Tyrios, propterea quod illi poenitentiam non egerint, cum Tyrii eam egissent, si eadem vidissent miracula, eademque auxilia interna habuissent : Sed haec increpatio injusta foret, si scientia conditionata de futura Tyriorum poenitentia sub conditione miraculorum et auxiliorum eorundem fundaretur in decreto praedeterminante vel condeterminante aut dandi gratiam ex se efficacem; ergo. *Min. prob.* Injusta est increpatio comparativa quando datur ingens disparitas in auxiliis omnino necessariis ad operationem, adeo ut unus ea omnia habeat, et alius non habeat, ex solius increpantis arbitrio; quia vis memoratae reprehensionis stabat in eo, quod non sit potior ratio, ut Tyrii converterentur visis miraculis, quam ut sub eadem conditione convertantur Judaei : Sed si scientia conditionata de futura Tyriorum poenitentia fundaretur in dicto decreto, Tyrii quidem ex solius Dei arbitrio habuissent praedeterminationem aut gratiam *per se* efficacem tanquam omnino necessariam ad poenitentiam, Judaei vero non habuerunt hoc auxilium praedeterminans aut *ex se* efficax; cum, si habuissent, infallibiliter omnino egissent poenitentiam; ergo. Hinc vero etiam patet, quod Judaei potuissent se justissime excusare et respondere Christo : Domine, si Tyrii tua miracula viderent, essent ad poenitentiam agendam physice praedeterminati; haberentque praeter auxilia, quae nobis donata sunt, aliud fortius irresistibile et omnino necessarium, quo nos caremus occulto Dei judicio : cur ergo nos increpas, quod visis miraculis non egimus poenitentiam, per comparisonem ad Tyrios? Increpatio autem justa esse nequit, cui justa obtendi potest excusatio.

Conf. 1º. Si statuatur poenitentia Tyriorum conditionate futura unice esse cognita in decreto praedeterminante, Christus non potuit Judaeos objurgare, nisi vel 1. quia poenitentiam sine praedeterminatione physica non egerunt; vel 2. quia praedeterminatione ad poenitentiam agendam caruerunt : sed neutram ob causam poterat objurgatio esse justa. Non quidem ob 1^{am}. quia nemo juste objurgatur, quod poenitentiam non agat eo modo, quo cum agi est impossibile : sed impossibile erat, ut Judaei sine praedeterminatione agerent poenitentiam; ergo. Neque ob 2^{am}. quia rursus nemo objurgatur juste, quod careat re, cujus habendae vel acquirendae liberam potestatem non habet : talis vero res est praedeterminatio physica secundum Thomistarum principia; ergo. Hinc Judaei Christo increpanti ulterius potuissent juste reponere : Domine, vel vis ut sine praedeterminatione poenitentiam agamus, vel ut cum illa : si *primum*, petis quod et nobis et Tyriis est simpliciter impossibile, cum sine praedeterminatione poenitentiam agere non minus, imo magis repugnet, quam sine alis volare; si *secundum*, da nobis praedeterminationem, sicut eam daturus esses Tyriis, et tunc, si poenitentiam non agamus, quam illi essent acturi, objurga nos, quantum libet.

Conf. 2º. Objurgatio unius praeter altero nec justa nec seria est, si is, qui